

manus semper usquequaquam habere perfossas (ad instar S. Francisci) et patulas; sed interdum opus esse cavas manus obstruere suisque donationibus, sumptibus et expensis modum adhibere: fore alioquin, ut in suo regno multo plures in paupertatem adduceret, quam fecerat olim D. Franciscus in orbe christiano, non quidem spontaneam ut ille, sed involuntariam et exosam, Joan. Mich. in anat. corp. pol.

Tertio, quia sæpe aleam rapit, ut habeat, quod profundat; ut fere solent nobiles, qui cum grandi aere alieno premantur, plurimaque in suos liberos, servos, vestes, ludos, canes, equos, etc. profundant, subditos suos oneribus et exactionibus premunt, ac propemodum excoriant. Ita dissipator noster, de quo in hodierno evangelio, cum videret domino suo se factum obæratum ex sua profusione, convertit se ad fraudes, et res domini sui donat ejus debitoribus. Ita Nero imp. effusis opibus conversus est ad rapinas, et verissimum esse docuit, quod olim Timotheus exprobravit Aristophonti: *Cui nihil satis est, ei nihil turpe est.* Templis enim compluribus dona detraxit, et simulacra ex auro vel argento fabricata conflagavit, itaque nec diis suis peperit. Hinc hostis a senatu declaratus, et tandem ab omnibus destitutus est, Suet. c. XXX.

III. Prodigit famam suam. Audimus enim in hodierno evangelio, dissipatorem illum diffamatum esse apud dominum suum. Sed qua in re prodigi diffamantur? Primo, vocantur rerum decoctores, gurgites et charybdes, quibus proinde nihil tuto credi, et a quibus nil recuperari possit. Si enim talibus mutuum quid des aut beneficium aliud conferas, dicimus: Et quemadmodum nautæ summo studio vitant gurgites et charybdes: ita vitant homines vendere, mutuare et benefacere prodigis. Taceo scommata, quæ in tales passim jactantur.

Secundo, vocantur reipublicæ noxæ et pestes, quemadmodum Heliogabalus imper. orbis monstrum, de quo hæc Lampridius: « Hic solido argento factos habuit lectos, et triclinares et cubiculares, comedit sæpius ad imitationem Apicii calcanea camelorum et cristas vivis gallinæis demptas, linguas pavonum et lusciniarum: quod qui ederet, ab epilepsia tutus diceretur, etc. canes jecinoribus anserum pavit. » Persimile monstrum Cl. Nero imp. fuit, de quo Sueton, c. XXX. inquit: « Nullam vestem bis induit. Quadringenis in punctum sestertiis aleam lusit. Piscatus est reti aurato purpura coccoque funibus nexis. Nunquam caruecis minus mille fecisse iter traditur soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus armillata et phalerata cum hama-

xicerum turba atque cursorum. » Non minus culpandus Aurelianus imp. quam ejus, quem alebat, gurges, orco demandandus de quo hæc Victor: « Miro modo nimis delectabatur: vehementissime autem delectatus est phagone, qui usque eo multum comedit, ut uno die ante mensam ejus aprum integrum centum panes, vervecem et porcillum comederet: biberet autem infundibulo apposito plus orca. » Nero tam spatiosum et magnificum palatium sibi Romæ (dirutis plurimorum ædibus) exorsus est, ut de illo quidam cecinerit: *Roma domus fiet. Veios migrate Quirites, si non et Veios occupet ista domus.* Quid, his monstris facias, quibus tantum nocitura, imo tot mala placuere?

Tertio, vocantur stulti et insani; nec immerito. Nam imprimis id, quod super omnia amant facere, ita volunt facere ut diu facere non possint. Dum enim omnia simul expendunt et a se projiciunt, postea non habent amplius, quod expendant. *Quid autem stultius, inquit philosophus, quam quod libenter facias, curare ut diu facere non possis?* Quanto sapientiores his elephantibus, ut scribit Solinus alter dentium semper in ministerio est et alteri pareitur, ne assiduo percussu laberetur? Deinde, dum aliis prodesse volunt, sibi ipsis nocent, et veluti canales ex aqua quam ad alios deferunt, non nisi fæces peccatorum et inopiæ limum sibi reservant: *Qui autem sibi nequam, cui bonus?* Eccl. XIV. Denique, præter morem filiorum hujus sæculi, aliis sapiunt sibi vero minime; contra id Prov. IX. *Si sapiens fueris, tibimetipsi eris.*

IV. Prodigit animam et salutem suam. Incidit enim in iudicium Dei, ejus bona dissipavit et cui rationem reddere villicationis suæ debet, et pœnas dare. Primo, quod absque moderamine usus sit bonis Dei, qui omnia in mensura et numero et pondere disposuit, Sap. XI. Ad nos ipsos provoco. Nonne bestiis et pecoribus nostris certa in mensura pabulum præscribimus, et porrigi jubemus? Nonne si servi vel ancillæ equis vel bobus fœnum vel avenam ultra mensuram dent, protinus eis irascimur? Et hæc tamen pecora et jumenta nobis serviunt omnemque commoditatem præbent. Cur igitur non indignetur Deus prodigis, a quibus ipse nihil expectat commodi, qui ipsius bona adeo abliguriunt.

Secundo, quod absque iudicio et discretione dederit iis quibus dandum non erat; non dederit, quibus dandum erat. Pauperibus dandum erat, quod supererat: non scurris, mimis, etc. ab hoc ergo accusabitur. Audi S. Chrysos. ho. XLIX. in Matth. « Si orphanorum tutelam, inquit, procurandas haberes, illisque inedia periclitan-

tibus, tu illorum rebus lautissime viveres, mille profecto homines accusatores haberes et a legibus statuta supplicia non evaderes; cum autem divitias Christi receperis, non tu putas frustra eas consumendo, pœnas te aliquando daturum?» Quid evenit epuloni, qui mensæ suæ reliquias canibus potius adjicere, quam egenti Lazaro maluit? « Quid ad hoc respondebunt, inquit Hector Pintus, in Ezech. c. XVIII. qui divitias suas in res inanes profundunt et magnificis apparatibus inaniter delectantur? Canes et accipitres alunt, pauperes et inopes nec in extrema inopia curant; induunt parietes pretiosis aulæis, et Christi pauperes nuditate deficiunt; cooperiunt lapides, qui nihil sentiunt, et carnes proximorum nuditatem suam sententium cooperire nolunt. In phaleris consumunt aurum, in collo ferunt torques, et in auribus inaures pendentes et pretiosa monilia, quibus possent captivos redimere, viduas indigentes alere, virgines pupillas dotare et miseris inopibus subvenire. Sunt qui conferant aliquando in aliquos opes suas illis non indigentes, non charitate et misericordia, sed vanitate et inani gloria ducti et repentino quodam, quasi vento, impetu animi concitati. Sunt similes fluminibus aquas suas in mare mitentibus, terras autem sitientes minime rigantibus. » Huc usque Pintus.

Tertio, quod multa, quæ in aliorum vel suum usum cedere poterant, malitiose, perdat, comminuat, abjiciat, effundat: similis bestię illi apud Dan. c. VII. cujus dentes erant ferrei, quæ aliqua quidem comedebat et comminebat, at reliqua (ne quos haberet prandii sui socios) pedibus suis conculebat. Qualem fuisse non immerito dixerit aliquis Augustinum Chiesium Romanum trapezitem, qui tale convivium Romæ exhibuit, in quo non solum omnis generis exquisitissima ferula et ad extremum linguæ psittacorum variis in patinis apponebantur, verum etiam vasa omnia escaria ex argento affabre facta, quoties escarum mutatio fieret, in præterfluentem Tiberim jactabantur, Hadrian. jun. animadvers. I. IV. c. VIII. Quis hujusmodi homines non peiores dicat ipsis basiliscis? Hi enim, ut scribit Ælianus, I. II. c. VII. dum in Africa pasti sunt e mulorum cadaveribus, sibilo dato recedunt et indicant serpentibus aliis, se jam pransos esse et quod superest cibi, ipsis relinquere. At isti quantumcumque bene pransi sint, nunquam sibilant pauperibus, ut et ipsi ad prandendum veniant, sed potius, ne prandere possint mergunt et comminuunt ipsis quod superest.

Cogitate igitur, auditores, annon aliquando

cœlestis paterfamilias dicturus sit hujusmodi villico suo: *Quid hoc audio de te?* Quare faciat sibi unusquisque amicum iudicem suum, cui post hanc vitam redditurus est rationem, ne una cum avaro amandetur in infernum.

CONCIO III.

BONA DEI QUINAM DISSIPENT.

I. Bona animi: 1. Supernaturalia. 2. Scientia et ingenium. 3. Honor et existimatio. — II. Bona corporis: 1. Forma et pulchritudo. 2. Robur et valetudo. 3. Vita. — III. Bona fortunæ: 1. Dignitas et imperium. 2. Nobilitas. 3. Divitiæ. 4. Fruges terræ.

THEMA.

Hic diffamatus est apud eum, quasi dissipasset bona ipsius. Luc. XVI.

Non dubito, auditores, si quis angelus Domini ad nos descendens diceret, unum aliquem e nobis esse dissipatorem honorum Dei, qui proinde brevi citandus sit ad iudicium, quin omnes trepidaremus. Ita enim apostoli, cum diceret illis Christus: *Unus vestrum tradet me,* (Matth. XXVI.) omnes consternati sunt et se mutuo intuebantur, quasi unusquisque seipsum haberet suspectum, dicentes: *Numquid ego?* Porro in hodierno evangelio non obscure indicat Dominus, reperiri tales homines, qui bona Dei dissipant. Merito ergo timemus omnes. Quid enim si ego, et iste, et ille, tales inveniamur? Quid faciemus, cum audierimus intonantem Dominum: *Redde rationem villicationis tuæ?* Quare inspiciat in tempore unusquisque rationes suas et examinet seipsum, an sit ipse talis, qualem videmus in evangelio citatum ad tribunal et depositum ab officio; ne idem aliquando contingat etiam ipsi.

I. Tria bonorum genera sunt, quæ accepti homo a Deo: animi, corporis et fortunæ. Ad bona animi pertinent. Primo, supernaturalia, uti gratia. Hanc profecto dissipant, qui peccando a se expellunt. Insana prodigalitas fuit illius Cleopatæ, Ægypti reginæ, quæ ex fastu et insolentia ingentem et pretiosissimum unionem (pretio centum sestertium) ab aure detractum et aceto maceratum, uno bolo absorpsit, uti scribit Plinius, I. IX. c. XXXV. Sed nihil hoc ad prodigalitem peccatoris, qui uno peccati gustu gratiam, ornamentum animæ suæ et pretium regni cœlestis dissipat et absorbet. Quis tanto dissipatori non maxime irascatur? Sane cum Cleopatra alteri etiam unioni manum injecisset, ut eam

simili modo absumeret, impedita est a L. Planco, tanto luxui irato. Et nos ergo non satagemus, ut vel nos ipsos vel proximos nostros a peccato retrahamus, et tantum bonum non perdamus?

Secundo, scientia et ingenium. Dissipant hoc bonum: primo, qui eo non utuntur ad suam et aliorum utilitatem. Ut enim perdit aurum is, qui in terram id defodit, ita et scientiam, qui eam nemini communicat. Unde Eccl. XX. dicitur: *Sapientia absconsa et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* Quanti sudoris est, thesaurum cumulare? Et quanti laboris, scientias comparare? Quanta igitur malitia, pessumdare utrumque? Similes hi sunt cervis Epiroticis, quos scribit Aristoteles de admir. audition. cornu dextrum vi medica præditum præ invidia defodere. Cornu medicum est scientia, quam qui ex ignavia vel invidia aliis abscondit, reddet Deo rationem, velut ejus dissipator: quemadmodum et illi, qui scientiam et ingenium obruunt ebrietatis consuetudine, qua inutiles sibi et aliis fiunt. Quid prodest fabricare navim onerariam, si, cum navigandum est, eam mox submergas? Et quid prodest maximis sumpstibus scientias comparasse, si, cum eas proximis impendere debes, ignavia et ebriositate sepelias?

Secundo, qui eo utuntur in malum, ad fraudes et vanitates, et propriam laudem et inanem gloriam vel in perniciem aliorum. Recte dixit quidam: *Scientia sine timore Dei est gladius in manu furiosi.*

Tertio, honor et existimatio, ejus dissipatores sunt: primo, qui suo placito vivunt, nec curant, quid de ipsis alii sentiant, cum tamen dicat Eccl. cap. XLI. *Curam habe de bono nomine.* Indignatum fuisse novimus Judam, quod Maria Magdalena pretiosissimum unguentum effuderit in Christum; quod quidem jure fecisset Judas, si Magdalena non in Christum, sed in terram fudisset unguentum. At res multo est indignior, si prodigatur bonum nomen. Ait enim Eccl. c. VII. *Melius est bonum nomen quam unguenta pretiosa.* Cant. II. legimus Christum animarum nostrarum sponsum pasci inter lilia. Lilia autem non candore tantum, sed etiam odore excellent, ut explicat S. Bernard. serm. LXXI. in Cant. Talis ergo Christianus sit pollens videlicet candore conscientie et odore fame: *Debemus enim Deo, ut ait S. Bern. conscientiam, proximo famam.* Ita non male Judas dicebat, unguentum deberi pauperibus: quia fame bonus odor debetur maxime iis, qui pauperes sunt virtutibus.

Secundo, qui sordide et impudenter vivunt, adeoque nomen suum publicis scandalis fœtere faciunt. Hi enim quodammodo produnt animam

suam diabolo et omnis generis sceleribus. Qui sepem vel maceriam horti sui, vel muros et portas urbis suæ everteret aut venderet, censeretur dissipare hortum ipsum ac civitatem suam. Idem agit, qui famam suam prodigit. Famam enim bona custos est virtutum et honestatis: quo remoto patet aditus in animam vitiis quibuscumque. Sane qui vestes aut epulas suas sordibus inficeret, nonne eas perderet? Tale monstrum naturæ, fuit Constantinus Copronymus imperator, qui, ut scribit Theocteristus, in Niceta: «Tantopere sordium et impurissimo cujusque rei malo odore delectabatur, ut animalium brutorum stercoribus se illiniret, et eos, qui cum illo erant, id facere juberet, quos amabat, obidque benigne accipiebat, quod rebus male olentibus semper delectaretur.» Fœdavit igitur turpissime hic imperator sordibus nomen suum, ut inde Copronymus et Caballinus diceretur, Bar. anno 375. Quem imitantur illi, qui sordibus infamiae seipsos improbe contaminant.

II. Ad bona corporis spectat primo, forma et pulchritudo. Hanc dissipare convincuntur, qui ea abuntur ad lasciviam et venantur turpes voluptates, vel etiam inanem gloriam: non minus, quam qui ingeniosam et elegantem imaginem projiceret in cœnum. Hinc Salomon, Prov. XI. dixit: *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra et fatua.* Ut enim sus rostro suos terram et cœnum fœdat, aurumque illi insertum defœdat, sic mulier insipiens cum formæ pulchritudinem a Deo acceptam, qua gratiam et honorem posset consequi, (forma enim virginis supplet dotem) sordibus vitiorum et libidini indulgens conspuere.

Secundo, robor et valetudo. Bonum hoc pessumdant primo, qui eo non utuntur sapienter, in res videlicet Deo gratas, et sibi aliisque salutare; sed ad sectandas vanitates, ostentationem, etc. Hinc enim merentur eo privari a Deo, adimente passim dona sua non utentibus, juxta illud Luc. XIX. *Auferte ab illo mnam, et date ei, qui habet decem mnas.*

Secundo, qui id destruunt vitæ inordinatæ licentia, veluti otio, deliciis, lascivia, ingluvie et ebrietate. His enim quasi pugionibus semetipsos vulnerant quam plurimi.

Tertio, vita. Prodigunt hanc primo, qui in manifesta vitæ pericula, sine causa se conjeiunt. uti pugiles, insani potatores, etc. et a potiori, qui vitam sibi ipsis quovis modo eripiunt.

Rursum, qui vitam suam conservare non laborant, uti qui in ægritudine pericula positi, medicos non consulunt, metu sumptuum frustra faciendorum. Insana et crudelis avaritia est, quæ

vitam potius perdere vult quam pecuniam, nec sinit possessorem uti rebus suis indigentem, de qua Eccl. c. VI. ait: *Est et aliud malum, quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines: Vir cui dedit Deus divitias et honorem, nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo.*

Secundo, qui vitam suam mundo impendunt, tempus male terunt, et toto vitæ decursu in peccatis degunt, nihilque operis ad promerendam vitam æternam faciunt: omne enim tempus, quod æternitati non impendimus, perditum censeri debet. Unde viri boni non computabant annos vitæ suæ, nisi quos bene impendissent, uti Barlaam apud Damascenum in hist. qui roganti Josaphat, quot annorum esset, respondit, quadraginta quinque licet esset septuagenarius: quia videlicet quadraginta quinque tantum Deo vixisset. Et Hadrianus Similius, cujus epitaphium erat tale: *Hic jacet Hadrianus Similius, qui longævam vitam duxit, sed tantum septem annos vixit.* Hos enim solos bene collocaverat. Quantum ergo dissipant, qui totum vitæ tempus in vanitatibus sectandis collocant. «Titus Vespasianus filius, inquit S. Hieron. in ep. ad Gal. VI. cum quadam nocte sero recordaretur in cœna se nihil boni in illa die fecisse, dixit amicis: Hodie diem perdi. Nos non putamus perire nobis horam, diem, momentum, tempus, ætates, cum otiosum verbum loquimur, etc.» Mercatores, qui durantibus nundinis, lusui vacarent et luxui, nec suæ adessent officinæ: nonne maxima lucra perderent? Hoc agunt qui hoc breve vitæ curriculum non impendunt Deo, nullaque sibi merita congregant, de præteritis dilectis pœnitentiam non agunt.

III. In bonis fortunæ numeratur primo, dignitas et imperium, quod bonum imprimis dissipant, qui eo, cum opus est, non utuntur. Gladium accipere magistratus, sed dum eum nunquam evaginant, rubigine consumi faciunt, de quibus dicitur Jer. XLVIII. *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine.* Jacobum Carrariensem principem Patavinum, cum moriturus quoslibet admisisset, qui queri de se vellent, adiit quidam repetens ab eo mulctam pecuniariam, quam ipsi principi ob remissam capitis pœnam solverat. Sed respondit princeps, se nullius admisse iniustitiæ hac in re esse conscium, nisi quod mitius quam debuerat, reum illum mulctasset. Refert Cornel. a Lap. in Jer. cap. XLVIII. Ita nimirum magistratus, qui non puniunt pro merito delinquentes, faciunt eos deteriores, et in se derivant crimina eorum, a quibus etiam aliquando acceusabuntur coram Deo, quod in eorum scelera non animadverterint, sicut debebant.

Qui eo bono abutuntur ad luxum, fastum, rapinam, contemptum et oppressionem pauperum. Coronam enim et sceptrum, quod acceperunt ad tuendam dignitatem suam et subditorum vitam regendam, turpi labe aspergunt et vertunt in ignominiam ac tyrannidem. Datus est illis gladius, non ut ipsi prorsus liberi sint, sed ut alios liberent, non ut subditos vulnerent, sed potius defendant. S. Bernardus ait: *Sollicitudo, officium prælati est, non celsitudo.* Quare magistratus et rectores qui omnia, quæ libent, sibi licere putant, maximum Dei bonum dissipant. Illis dicitur Zach. XI. *O pastor et idolum, derelinquens gregem: gladius super brachium ejus, et super oculum dextrum ejus.* Tales enim volunt adorari ut idolum et numen; et cum deberent esse pastores, sunt potius laxiones (ut habet ibi Chald.) qui habent gladium in manu sua, et oculus eorum respicit ad pingua, ut jugulent ea. Sic David respexit ad Bethsabeam, et quia placuit ei, statim missis ministris tulit eam, et abstulit marito conjugem, II. Reg. XI. Sic principes et iudices gladio suo utuntur ad excoriandos subditos, et quidquid vident, suum esse volunt, sibi que per fas et nefas arrogant. Speculari debent subditorum vitam, ut servant, at ipsi speculantur, ut absorbeant. Unde illis dicitur Os. V. *Vobis iudicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, id est, vos, o principes, qui debebatis speculari et custodire populum in cultu Dei, eidem facti estis laqueus et direptores.* Ut exponit ibi S. Hieronymus.

Secundo, nobilitas, quam censentur dissipare: primo, qui eam virtutibus non illustrant. Hi enim præclaris majorum suorum armis induti quidem sunt, in bello interim ignavi sunt et imbecilles. Præclaram quidem indolem a majoribus suis acceperunt, sed ignavia eam perdunt: velut si generosum equum pabulo tantum nutriant et refractarium efficiant atque inutilem.

Secundo, quia eam abutuntur ad vitæ licentiam, quasi prætextu generis omnia eis licerent, uti subditos vexare, creditores fraudare, ex raptu vivere, omniaque sursum deorsum vertere; id quod multi sibi persuadent. Unde Diogenes dicebat nobilitatem aliud non esse nisi velamen malitiæ, quo tecti nobiles peccant licentius, Laert. I. VI. c. II.

Tertio, divitiæ, quæ varie dissipantur. Primo, cum quis lautius vivit, vestitur et elargitur, quam status et facultas ejus patiat. Et a potiori, cum pecuniæ in luxum et libidinem expenduntur.

Secundo, cum non quibus oportet vel decet, communicantur; veluti cum quis liberalis in mimos potius et scurras, quam honestas perso-

nas, in reprobos quam bonos, in alienos quam amicos et propinquos indigentes, in saturos quam esurientes, in divites quam pauperes, in canes vel equos quam homines. Democritus cum cerneret quemdam quibuslibet prompte ac inconsiderate largientem: *Male, inquit, sit tibi, qui gratias virgines effecisti meretrices*, (Maxim. serm. VIII.) q. d. nimis communes.

Tertio, cum datur aliquid, quod non debet dari, v. g. noxium quid aut alienum, vel iniquum; tametsi forte promissum est. Recte enim dixit Agesilaus: *Si justum est, quod petis promisi, sin minus, non promisi*.

Quarto, cum non erogantur discrete, v. g. cum simul totum effunditur in aliquem, vel totum in unum, nihil in alios, absque consilio et urgente causa.

Quinto, cum perversa intentione, scilicet humanæ laudis aucupandæ gratia, vel studio æquale vel plus recipiendi, vel libidinandi, vel altiore gradum acquirendi, etc. His enim et similibus modis seminatur in aqua, quidquid spargitur, adeoque dissipatur: *Amen dico tibi recepisti mercedem tuam*.

Sexto, cum nemini communicantur, sive in donum, sive in mutuum, sed reconduntur ad satiandam frustra avaritiam.

Quarto, fruges terræ, quas dissipant. Primo, qui iis immoderate utuntur ad luxum et intemperantiam. Hi sunt instar anatum, qui proposito aquæ vasculo, non sunt contenti inde bibere; sed insuper in id insiliunt, insidentque, totumque eluendo vacuant.

Secundo, quia eas abscondunt pauperibus cum elargiendi est necessitas: ob quam causam sæpe puniuntur, et fruges ipsæ pessumdantur sive a vermibus, sive incendio, sive divina punitione. Cum Lambertus Strarensis, frater Bertolisi præpositi S. Donatiani decimas in multos annos redemisset, plenaque horrea haberet, atque ingruente annonæ caritate, ea egenis communicare nollet, jussit B. Carolus ejus horrea effringi, triticique vim ingentem egentibus gratis admetiri. Qua de causa a monopolis ei in templo oranti sacrilege mors violenta illata est, ipseque justitiæ æque ac annonæ publicæ tutor pro muneri sui fortiter obiti merito martyrii palmam tulit. Ita habet ejus vita nuper a Belgis edita et Æmil. I. V.

His omnibus dicit Deus per Oseam, c. II. *Ego dedi ei frumentum et vineum et oleum, et argentum multiplicavi ei et aurum quæ fecerunt Baal*, id est, obtulerunt et sacrificarunt idolo Baal. Arabicus vertit: *Conflavit ea Baal*. Hoc faciunt, quicumque bona Dei dissipant: offerunt enim, sacrificant et

conflant ea dæmoni, ventri, mammonæ, Veneri, qui proinde omnes citabuntur ad iudicis tribunal, audientque vocem illam: *Redde rationem villicationis tuæ quia non poteris amplius villicare*.

CONCIO IV.

QUA RATIONE OPORTEAT UTI BONIS DEI.

I. Animi bonis: 1. Gratia. 2. Virtutibus. 3. Scientia, ingenio, jurisdictione. — II. Corporis bonis: 1. Forma et pulchritudine. 2. Robore. 3. Sanitate et ætate. 4. Quinque sensibus. — III. Fortunæ bonis: 1. Divitiis. 2. Nobilitate. 3. Dignitate. 4. Honore. 5. Favore principum. — IV. Vitæ necessitatibus: 1. Tempore. 2. Cibo et potu. 3. Societate.

THEMA.

Hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. Luc. XVI.

Cum tonitru audimus terrificum et inusitatum, cruce nos signamus et Deum imploramus, ut nos a fulmine, quod ejusmodi tonitrua fere sequi solet, dignetur præservare. Audimus in hodierno evangelio horisonum quoddam tonitru: *Redde rationem villicationis tuæ; jam enim non poteris villicare*. Quid enim istud (*redde rationem villicationis tuæ*) sonat aliud nisi veni ad iudicium rigidissimum, exactissimum, gravissimum, ultimum in quo non de stillicidiis, non de opibus sed de summa rerum omnium maximarum, de æternitate seu felicissima seu infelicissima adeoque de fortunis omnibus decerneretur. Quid illud *jam non poteris villicare*, nisi exulabis in perpetuum a bonis quæ possedisti: mundo et huic luci æternum valedices: non sequentur te dignitates, honores, opes, obsequia amicorum: cessabit imperium, administratio, negotiatio tua: nudus hinc abibis ad domum æternitatis: sola opera te sequentur: non erit tibi locus meriti aut satisfactionis, quia neque tempus. Quis hoc audito tonitru, non sibi metuat et prospiciat? Et quis alius prospiciendi modus, nisi ut donis Dei bene et recte utamur? Hoc ergo nunc discamus.

I. Animi bona sunt. Primo, gratia, et hæc utendum est, sicut utimur puteo, qui semper exerceri et hauriri debet alioquin ejus aqua putrescit: ad eundem modum gratia assidue exercenda est. *Nunquam est amor Dei otiosus*, inquit Gregorius, *operatur enim et quidem magna si est, si vero operari renuat, amor non est*. Quid enim amor, nisi unctio Spiritus sancti ad bene et merito operandum? Quis autem nescit reges et

athletas non frustra ungi; sed ut strenue pugnent et vincant? Talis athleta Paulus qui dicebat: *Gratia Dei in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi*, I. Cor. XV. In vacuum ergo accipiunt gratiam qui ea non utuntur, sicut qui puteum in domo habet, quem non haurit. Qui vero eam exercent bene operando in omni virtutum palestra, singulis actibus gratiam sibi adaugent, sicut aqua putei quo magis hauritur, eo purior et sanior efficitur. Dissipatur vero gratia, cum non exercetur et multo maxime cum per peccatum perditur.

Secundo, virtutes, et his utendum sicut viri nobiles et magnates utuntur palliis, illi enim sæpenumero pallia gerunt de panno vel simili materia non admodum pretiosa, suffulta vero holoserico, ita ut suffultura, quæ non apparet, pretiosior sit panno qui apparet: atque ita vestiuntur quidem illi pretiose pro status sui dignitate, nolunt tamen videri ornati quia non quærunt gloriam apud homines rudes et plebeios. Jam præcipit nobis Christus ut exerceamus virtutes in exemplum aliorum: interim vero etiam præcipit easdem occultare, ne per eas vanam quæramus laudem: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*; (ecce primum) et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est, (ecce secundum.) Quid ergo faciendum? Induamus et geramus virtutem sicut pallium nobilium, seu studeamus extra latere, viles haberi ab omnibus et quasi rudi panno vestiti: intus vero per intentionem soli Deo placere cupiamus. Pulchre hoc docuit S. Gregorius, homil. XI. super evang. cum ait: « Sic autem sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut de bono opere proximis præbeamus exemplum, et tamen per intentionem qua soli Deo placere quærimus semper optemus secretum. » Hæc ille.

Dissipant hæc bona (virtutes) qui eas vento vanæ gloriæ exponunt.

Tertio, scientia, ingenio et jurisdictione ac potestate utendum, uti nummis vel talentis acceptis a Domino, quæ ad usuram danda sunt, et cum fenore recipiantur. Non enim hæc dona dat Deus, ut accipiens ea sibi reservet, sed ut aliis communicet. Atque idcirco reprehenditur servus qui unum, quod acceperat talentum, abscondit et sine usura restituit, Matth. XXV. Eo autem talento, ingenium et scientiam intelligi communis est sententia. Novit ergo quispiam alteri bene consulere, etc. ne omittat; quia de hoc ab ipso rationem exiget Deus.

Dissipat ergo hæc bona, qui ea proximo non communicat: cum præcipue data sint ad communicandum.

II. Corporis bona sunt, primo, forma et pulchritudo; et hæc vel propria vel aliena. Aliena non aliter utendum ac perspiciliis quæ sunt medium, per quod videtur objectum; Quare cum speciosam aspicias creaturam, non debes ibi sistere, sed per eam velut per perspicilia creatorem contemplari, mirari et laudare. Unde enim corporis forma et decor? Nonne ab anima? Si enim anima destituatur, deforme cadaver erit. Ergo si corpus amas, quia pulchrum, multo magis amare debes animam, a qua sortitur corpus eam pulchritudinem. Sed nec hic sistendum; ulterius ascende, et dic: Quanto pulchrior ergo Deus, qui et animæ et corpori tantam dedit pulchritudinem. Pueri contemplando pictas litteras, ibi sistunt; nec ulterius procedunt ad intelligentiam earum. Hujusmodi pueri sunt, qui creaturas secundum se aspiciunt.

Propria vero pulchritudine utendum, uti tabula marmorea aptissimis lineamentis ab ipsa natura condecorata; quam qui nactus est pictor, perpolit, addendo naturæ artem, et, quæ desunt, lineamenta, ut sic representet pulcherrimam imaginem maximo pretio et principe vero dignam. Quod si igitur ejusmodi lineamenta naturalis pulchritudinis in te comperias, age Deo gratias, pro tam bona ad virtutem compositione, et quamprimum adlabora, ut hanc tabulam industria et virtute perficias; siquidem eam ad hunc finem accepisti. Unde Plut. ait: *In speculo te contemplare: et si pulcher appareas, ea fac quæ decent pulchrum: sin deformis, id quod faciei deest, honestate morum supple*, apud Maxim. in serm. de pulchrit. Atque ita gaude potius de virtutis, quam de naturæ pulchritudine, sicuti pictor ille non de naturalibus tabulæ lineamentis, sed de artis suæ complemento gloriam sibi quærit.

Dissipat hoc bonum, quia in pulchritudine sola persistit, sibi et hominibus placere gaudet, et insuper sibi et aliis fit laqueus.

Secundo, robur et fortitudo: hac utendum sicut decet uti gladio sacro, quem insignis eques accepit a pontifice, exerendum contra hostes Ecclesiæ. Talis enim gladius non ad ostentationem, sed ad destinatum usum et præclara facinora adhiberi debet, non ad ludum pugilum, nec ad feriendos lapides vel decollandos anseres, multo minus contra Christianos. Ejusmodi vero gladius est robur corporis, ad labores sive corporis sive animi datus.

Dissipat ergo hunc gladium, qui eum vaginæ inclusum gestant, nihilque laboris subeunt: et multo magis qui ad vana, turpia et noxia applicant. Tales sunt de quibus Isa. V. *Væ, qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam*